Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-ha32-1192015415-321675304-13

MARIENBIBLIOTHEK
HALLE A/S.

Kem 86
(1-54; a-g)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-ha32-1192015415-321675304-13

(33)

CONSPECTVS LABORVM

QVIBVS

PROFESSORES

ACADEMIAE REGIAE FRIDERICIANAE

PER SEMESTRE HIBERNVM

ANNI CIↃIↃCCLVII.

OCCVPABVNTVR

PRORECTORE

IOANNE FRIDERICO STIEBRITZ,

PHILOSOPHIAE, OECONOMIAE, POLITICAE, ET CAMERALIVM PROF. PVBL. ORDINARIO, REGIOR. ALVMNOR. EPHORO, ET FACVLT. PHILOS. H. T. DECANO.

P. P. D. XXVIII. SEPT. MDCCLVII.

HALAE MAGDEB. LITTERIS HILLIGERIANIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-ha32-1192015415-321675304-13

LECTIONES PRORECTORIS, DIRECTORIS AC PROFESSORIS MATHESEOS ET PHYSICES PRIMARII.

IOHANNES FRIDERICVS STIEBRITZ per ſemeſtre hibernum hora IX-X. vacabit *lectionibus priuatiſſimis*, quas Commilitones deſiderabunt; h. X-XI. lectiones philologicas *in libros noui foederis* reſtaurabit; et denique h. II-III. *libros Regum* atque *Eſaiam* ex fonte ebraico interpretabitur.

IO. ERN. FLOERCKE *priuatim* hora VIII-IX. ad B. Aui STRVVII *Iurisprudentiam Romano-Germanicam* et hora IX-X ad BOEHMERI *Inſtitutiones Iuris Canon.* commentaturus hora XI-XII. *Ius Publicum Imp. Rom. Germ.* ſecundum MOSERI **Grundriß der heutigen Staatsverfaſſung des teutſchen Reichs** enarrabit. Hora III-IV. *Collegium Proceſſuale-elaboratorium ad* B. KNORRII **Anleitung zum gerichtl. Proceß** inſtituet. *Publice* vero *Praenotiones* ſuas *Iurisprudentiae eccleſiaſticae* paulo ante conſuetum collegiorum initium hora IV-V. interpretari incipiet, id quod iuſto tempore e valuis publicis indicabit.

IO. ANDR. SEGNER publice docebit Mechanicam hora II, priuatim Aſtronomiam ſecundum Inſtitutiones abbatis la Caille hora XI, et Geometriam cum Arithmetica, ſecundum ſua elementa, hora III. In phyſicis autem lectionibus perget hora X.

LECTIONES THEOLOGICAE.

GOTTHILF AVGVSTVS FRANCKIVS, paſtorales inſtitutiones tradet. Paraeneſibus conſuetis in tractatione Ideae Studioſi Theologiae perget, et aſceticis horis Porro Pſalmos praeſenti tempore accommodatos explicabit.

CHRISTIAN. BENEDICT. MICHAELIS hora X. in Pſalmos Dauidis ex Ebraeo, et hora XI. in Euangelia Matthaei, Marci, Lucae, ordine harmonico ex Graeco fonte commentabitur.

IO. HENR. CALLENBERG, peracta ex fonte Ebraeo *Ieſaiae* explicatione, pro delectu Auditorum alium ex *difficilioribus* V. T. libris exponet: ac praeterea introductionem praebebit in Theologiam *Antitheticam.*

IO. GEOR. KNAPP primo *alteram theologiae dogmaticae partem* ſ. anthropologiam explicabit; deinde *hiſtoriam eccleſiaſticam N.* T. perſequetur et abſoluet. Perget denique die Domini in *conſideratione aſcetica* cap. V. Matthaei.

IO. SALOM. SEMLER confecto theol. dogmaticae ſtadio, *partem primam* incipiet; *theologiam polemicam* praeeunte B. BAVMGARTENIO tradet; *hiſtoriam eccleſiaſticam* continuabit, vbi ſubſtitit vir laudatiſſimus, et forſitan praeceptis *theol. moralis* dabit operam; niſi ſcholae *exegeticae* in epp. *Petri* praeferentur; exponet autem ea de re pluribus publice.

IVRI-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-ha32-1192015415-321675304-13

IVRIDICAE.

IO. TOBIAS CARRACH Priuatim 1) ad B. BÖHMERI Tractatum de *Actionibus* hora VIII. mat. et 2) ad EIVSDEM *Inſtitutiones Iuris Canonici* hora IX. commentabitur. 3) *Introductionem* vero *in Ius Digeſtorum* EIVSDEM horis interpretabitur conſuetis. 4) Recitationibus praeterea ad PERILL. DNI IO. SAMVEL FRID. BÖHMERI *Elementa Iuris Criminalis* horam deſtinauit III. pomeridianam. 5) *Collegio* etiam *Proceſſuali elaboratorio* illis inſeruiet, quibus cum eo de hoc inſtituto commodaque conueniet hora.

DANIEL NETTELBLADT hora IX-X. ad SCHMIDII inſtitutiones iurisprudentiae eccleſiaſticae tam pontificiae, quam proteſtantium commentabitur. Hora X-XI. et II-III. SCHAVMBVRGII compendium iuris Digeſtorum interpretabitur. Docebit porro hora XI-XII. ius publicum duce PÜTTERO, in elementis iuris publici germanici.

PHIL. IAC. HEISLER 1) LVDOVICI Pandectas horis VIII-IX. X-XI. et II-III. 2) HEINECCII Inſtitutiones hora XI-XII, cui aliam addet honoratiſſimis DD. Auditoribus commodam, in ſcholis ſuis hyemalibus explanabit.

IO. CHRIST. WILH. STECKIVS, Hora IX-X. enarrabit *Ius Canonico-Pontificium et eccleſ. Euangel.* duce B. BOEHMERO Hor. X-XI. *Ius Feudorum* exponet adhibito nitidiſſimo *Illuſtr.* MASCOVII Libello 1755. 8. Hora XI-XII. *Ius Publicum* I. R. G. pragmatice et ſolide docebit ſecundum *Ill.* MASCOVII *Principia* 1753. 8. Hor. III-IV. *Ius Germanicum Priu. ac Ciu.* interpretabitur duce ENGAVIO: *Elem. Iur. Germ. Edit. nouiſſ.* 1755. 8. MENSIBVS *Febr. Mart. April. etc.* Tironibus viam *Lectione Publica* Hor. IV-V. muniet atque monſtrabit ad ſolidam aeque ac elegantiorem et maſculam perueniendi Iuris ſcientiam, adhibito qui interea proditurus eſt Libello: Bildung eines Rechtsgelerten zum Dienſte des Staats. Auſpicabitur Lectiones finito Lipſienſium mercatu, easque intra ſpatium ſemeſtre dextre abſoluet. Auditorium quod in Plat: Steinſtraſſe dicta conſtituet iuſto tempore indigitabit.

MEDICAE.

IO. IVNCKER *publicis* lectionibus *chirurgiae medicae* ſectionem primam, quae de *tumoribus* agit, ad finem perduxit: quare alteram, de *vlceribus* exponentem, futuro ſemeſtri incipiet; *priuato* ſtudio *therapiam ſpecialem* continuabit: peruenit in ea ad *febres* vsque *compoſitas*, in quarum ſollicita expoſitione eo maiorem curam habebit, quo notius eſt medicinae practicis, quod in iis recte peruidendis et legitime tractandis potior pars morborum curandorum poſita ſit. *Priuatiſſima* exercitia in *collegio clinico* cum prouectioribus more conſueto perpetuabit.

ANDREAS ELIAS BÜCHNER *publicis* in *praelectionibus*, diebus ac horis conſuetis, commentabitur in *Ioann. Bernh. de* FISCHER Tractatum de *Senio eiusque morbis*. *Priuatim* hora VIII. ad IX. fundamenta *Semiologiae* tradet; hora X. ad XI. *ſimplicium medicamentorum*, ex tribus, quae vocant, Naturae regnis deſumtorum, *facultates et vſum* exponet; et hora XI. ad XII. manuductionem ad *praeſcriptionem Formularum medicarum* ſuppeditabit, initium horum laborum finitis nundinis, d. XVII. Octobr. h. c. D. facturus.

FRIDERICVS HOFFMANN publice hora X-XI. phyſiologiam praeleget, priuatim vero hora IX-X. collegium in materiam medicam inchoabit, ſimulque de viribus et modo operandi remediorum ex triplici naturae regno deſumtorum diſſeret. Initium harum lectionum erit die XVII. Octobris.

PHILIPPVS ADOLPHVS BOEHMER *inſtitutione publica* partem chirurgiae, quae agit de oculorum adfectibus, pertractabit. *Priuato ſtudio* horis conſuetis antemeridianis *Praeparationes*, pomeridianis vero *Demonſtrationes Anatomicas* et *Oſteologicas* inſtituet.

IO. PET. EBERHARD, *Pathologiam* Semiologiae iunctam, tradet h. IV-V. et priuatiſſime clinicas exercitationes et elaborationes denuo auſpicabitur. Reliqui labores erunt Phyſici et Mathematici.

PHILOSOPHICAE.

CHRISTIAN. BENEDICT. MICHAELIS hora III. a meridie difficiliorem Iobi librum publicis praelectionibus ex philologia ſacra, ac nominatim ex Syriſmo et Arabiſmo, cuius veſtigia multa habet, explicabit.

IOANNES IOACHIMVS LANGE publice h. IV. *Matheſin puram*; priuatim vero h. II. *Matheſin applicatam* et h. I. *Phyſicam dogmatico-experimentalem* explicabit. *Metallurgiam* phyſico-mechanico-pyrotechnicam, d. i. den Bergbau nebſt der Probier-Schmelz- und Scheide-Kunſt h. V. theoretice et quoad fundamenta practice h. V. docebit, cuius Collegii conſpectus exhibetur in libello typis expreſſo der Grund-Riß, p. 50. ſeqq. Hiſtoria naturalis docebitur diebus ſaturni h. I. III.

ANDREAS ELIAS BÜCHNER *publice* illam explanabit Phyſices partem, quae *Meteora* complectitur; *priuato* autem *ſtudio* occupatus erit in explananda WALLERII *Mineralogia*, diesque ac horas laboribus hiſce deſtinandas ſeorſim e valuis publicis ſignificabit.

FRIDERICVS WIDEBVRG, praeter origines praecipuorum Iuris Publici Germanici argumentorum, a X-XI. *Hiſtoriam Vniuerſalem* ad Puſendorfium, et ab XI-XII. *Hiſtoriam Imperii* duce

Stru-

Struuio tradet, adiunctis obſeruationibus ſuis, quae proſtant in officia libraria Rengeriana. Initium Deo propitio facturus die XVII. Octobris.

IO. HENR. CALLENBERG praeter Ebraicam litteraturam, generatim *orientalis* excolendae viam monſtrabit, ſi ſint, qui eius habeant ſtudium, et nomina profiteantur.

GE. FRID. MEIER docebit hor. IX-X. *Metaphyſicam* et X-XI. *Ethicam philoſophicam* ad ductum Cel. Baumgarten, hor. II-III. *logicam* vero ad ductum compendii ſui. Priuatiſſime hor. III-IV. oſtendet adplicationem regularum aeſtheticarum ad orationes theologicas, ſeu Aeſtheticam homileticam proponet.

CHRISTIANVS WEBER 1) *Logicam* b. *Coruini*. 2) *Metaphyſicam* b. *Wolſii*. 3) *Eiusdem Ius naturae* et *gentium* interpretabitur. Nec deerit lectiones priuatiſſimas praeterea deſideraturis.

EXTRAORDINARIAE.

GOTTLIEB ANASTASIVS FREYLINGHAVSEN, ſcholas habebit 1) *Hermeneutico-exegeticas* 2) *Ebraicas*, in vates aliquot minores et alias deinceps difficiliores codicis partes 3) *Diſputatorias*, in dogmata theologiea.

D. IOANNES FRIDERICVS IOACHIM Hor. IX. *Ius feudale*, duce B. WOLFIO, tradet; Hor. XI. *Ius publicum Imperii Germanici*, praeeunte Illuſtri MASCOVIO, explicabit; Hor. III. *Hiſtoriam Sacri Romano-Germanici Imperii*, ad ductum introductionis ſuae, enucleabit: denique Hor. IV. *Hiſtoriam Vniuerſalem Regnorum Europae*, ad filum proprii compendii, ſolide ac pragmatice enarrabit. Initium harum lectionum erit finitis nundinis Lipſienſibus.

CAROLVS FRIEDER. PAVLI Hor. II. Hiſtoriam ac Notitiam Statiſticam Brandenburg. Hor. III. Hiſtoriam I. R. G. ad ductum Schmauſſii Hiſtoriſches Ius Publicum. Hor. IV. Hiſtoriam Vniuerſalem ad Gebaueri Grund-Riß et Hor. V. Notitiam ſtatiſticam praecipuarum Germaniae Rerum publicarum docebit.

IOANNES PHILIPPVS CARRACH priuatim hora IX. *Principia Iuris publici* MASCOVIANA, hora X. *Conſpectum Reipublicae litterariae* HEVMANNIANVM, hora XI. autem B. HEINECCII *Elementa Iuris Ciuilis ſec. ord. Inſtitutionum* interpretabitur.

D. ERNEST. FRIDER. KNORRE 1) hor. IX-X. PERILLVSTRIS BOEHMERI *Elementa Iurisprudeutiae criminalis*, 2) hor. XI-XII. HEINECCII *Elementa iuris ciuilis ſecundum ordinem Inſtitutionum*, et tandem 3) hor. IV-V. diebus Lunae et Mercurii EIVSDEM *Elementa Iuris Cambialis* interpretabitur.

D. HENR. CHRIST. ALBERTI per inſtans ſemeſtre hybernum doctrinam de motibus vitalibus et diſpoſitione ab vſu organorum eo ſpectantium publica tractatione explicabit. Priuatim vero Fundamenta botanica illuſtrabit. Initium harum lectionum ex valuis erit indicandum.

D. FRIDER. LEBER. SVPPRIAN per inſtans ſemeſtre hyemale pathologiam generalem tractatione publica explicabit, priuatim vero Boerhaauii medicas inſtitutiones explicandas redauſpicabitur.

D. ERN. ANT. NICOLAI publice vires medicamentorum explicabit, priuatim vero hora VIII-IX. pathologiam tam generalem quam ſpecialem, hora IX-X. phyſiologiam, hora X-XI. ſemioticam et hora XI- XII. methodum medendi docebit.

F. C. IVNCKER *priuatim* XI-XII. *Phyſiologiam* docebit, hora II-III. *Subiecta Materiae medicae* praemonſtraturus eorum vires et vſus explicabit, hora X-XI. diebus Lunae, Martis, Iouis ac Veneris *Pathologiam*, reliquis vero *Semeiologiam publice* interpretabitur.

D. IVST. ISRAEL BEYERVS, auſpice Summo Numine, finitis nundinis Lipſienſibus, inchoabit denuo: I. Collegium *Epiſtolographiae germanicae*, in quo artem conſcribendi epiſtolas pro genio ſaeculi, ſtatim inter explicationem *Neukirchianorum* praeceptorum, per exempla omnis generis epiſtolarum ad C. vsque, exercebit; II. artem dicendi, *oratoriam* vulgo dictam, quam ad ductum Cel. GOTTSCHEDII, itidem theoretico-practice pertractabit; III. *Curſum philoſophicum* duce Cl. BAVMEISTERO; IIII. Collegium, quod vocare ſolemus, *Textuale ad Inſtituta Iuſtinianea*; denique omnibus ac ſingulis ab eo deſiderantibus, dummodo deſiderium mihi eorum tempeſtiue indicatum fuerit, elaborabit a) *carmina* germanica, b) *orationes*, c) *epiſtolas*, 4) aliaque *ſcripta*. De quibus omnibus lectiſſimis Dominis Commilitonibus plura coram eum, ſin libuerit, conuenientibus aperiet.

IO. PET. EBERHARD, in Philoſophicis Collegiis tradet, h. IX-X. *Matheſin adplicatam*, h. X-XI. *Matheſin puram*, vtramque duce WOLFFIO, et h. I-II. *Phyſicam* ad ductum proprii conpendii.

F. W. ELLENBERGER, ad ſolidam totius Noui Teſtamenti cognitionem ſubminiſtrante methodum et materias compendio a ſe edito Sacrarum litterarum amantes praeparabit hor. VIII-IX; Metaphyſicam duce Cel. Boehmio hor. X-XI; Librum Vet. Teſt. ex fonte hebraeo critice et grammatice h. XI-XII; Et Theologiam naturalem dogmatice et polemice diebus Mercurii et Sabbathi h. I-II. enucleabit. Diſputatorium denique in Metaphyſicam die Sabbathi h. III-IV. affigendo theſes inſtituet.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-ha32-1192015415-321675304-13

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-ha32-1192015415-321675304-13

(33)

CONSPECTVS LABORVM

QVIBVS

PROFESSORES

ACADEMIAE REGIAE FRIDERICIANAE

PER SEMESTRE HIBERNVM

ANNI CIↃIↃCCLVII.

OCCVPABVNTVR

PRORECTORE

IOANNE FRIDERICO STIEBRITZ,

PHILOSOPHIAE, OECONOMIAE, POLITICAE, ET CAMERALIVM PROF. PVBL. ORDINARIO, REGIOR. ALVMNOR. EPHORO, ET FACVLT. PHILOS. H. T. DECANO,

P. P. D. XXVIII. SEPT.

HALAE MAGDEB. LITTERIS

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-ha32-1192015415-321675304-13